

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro 31. (Neovidensis Nro 54.)

---

Secretum litterarum commercium vivos  
inter ac mortuos.

*Epistola Jacobo Hermannō Obereit ad campos  
Elysios scripta ex Mundo superiore.*

---

Elysium -- Meum. -- Die Martis 17 Julii 1804. (Neov. 3 Julii.)

---

**A**MICORUM dilectissime! An meæ litteræ tibi reddendæ sint, ignoro, certum tamen est, eas a me scribi, & quod fabulam sapit, easdem consignari publico Olympi tabellario. Quamdiu apud nos moraberis, fuisti homo neutiquam vulgaris! sed semper honestissimus Helvetarum, semper prætetulisti nationis characterem, quem nunquam, quidcunque ogganientibus Philosophastris, abnegasti. Hoc magno cedit honori tuæ nationi! Tu vera fuisti vivum, vagum, famelicum, & sitiens argumentum optimismi. Fuisti vir, qui tuam Philosophiam, non in romanensi fabella, uti vestphalicus Baro Candide; ejusque Magister Panglossius, sed in effectu, & in multa patientia transegisti, quod & tibi, & nostro Leibnicio non mediocrem peperit laudem. Tentent hoc in te imitari novi no-

stri Philosophi, illico omnes eorum philosophandi spiritus concident.

At non est mihi animus struendi tibi pagnegyricum, uti quondam Erasmus scripsit elogium stultitiæ. Amantissime Helveta, vir talis, qualem in te veneror, erubescit ad laudes non quæsitas. Longe alia ratio me impulit, ut philosophicum tuum genium etiam post fata commoverem. Nostine nova, ephemerides, & alia id genus scripta, e quorum lectione suavissimam capiebas voluptatem, non pertinere amplius ad res luxus, sed ad res necessitatis? Hanc ob causam judico, non esse imposterum publica nota signanda, nam satius est imponere tributa rebus voluptariis, quam necessariis.

Si etenim in Europa, quæ ad humanum, civilemque cultum traducta est, & eo magis in chara nostra germanica patria oculos circumferam, si societates varias hic existentes adeam, non possum mihi temperare, quin affirmem, Ephemerides referendas esse inter res vitæ necessarias ita quidem, ut excepta mechanica comedendi, & bibendi functione, non facile aliquid reperiat, quod cum existentia, & incolumitate plerorumque hominum magis esset connexum, atque interrogatio: „*Quid novi?*“ Illa enim consueta, medica quæstio: „*Quomodo vales?*“ raro priorem præcedit, neque dubito, quin illa huic per ulteriorem hodiernorum novorum cæsareorum eventuum decursum sit palmam præreptu-

ra, ut in primam omnium os aperientium salutationem convertatur.

Nulla, ne vivacissima quidem Phantasia potest sibi repræsentare malum, quo Germania opprimeretur, si nulla haberet nova. Subinde mea imaginandi vis mihi proposuit terribilem cogitationem de sufferendis pro una tantum hebdomade ephemeridibus. Superi! Quantam copiam hominum ultro, citroque reventium discruciat hoc nuncium, qui ardente novorum desiderio perciti, de loco ad locum ferebantur, se mutuo interrogationibus fatigabant, rogabant per omnia sancta, ut sibi offa quædam objiceretur, qua possent cupiditatem suam vel unica novitate exsatiare; etiamsi ea jejuna foret, & confusa, dummodo interruptam reducat animi hilaritatem, ne cogantur intra se ipsos quærere remedium, quod ibi nunquam invenitur.

Certe nulli Germanorum hætenus venit in mentem, exquirere verba, quibus commiseratione dignum patriæ nostræ statum describeret, si terribilis illa vox ejus auribus insonaret: „*Nulla amplius dantur nova!*“ Apage crudele spectrum!

Quam paradisiaca felicitas, Nova, & jentaculum eodem tempore absumere, ut eadem hora, qua somnus inter esum, & potum intercapedinem fecit, sol ephemeridum oriatur, omnemque animi vim nova virtute irradiet. Hoc merito dicimus attrahere horologium cerebri ad peragendas actiones diurnas,

ut hac ratione machina absque ulteriore obstaculo suum consuetum duodecim, vel quatuordecim horarum motum prosequatur.

Profecto sumtio jentaculi, & novorum lectio sunt nobiscum indissolubili nexu juncta. Equidem res novas quavis diei hora audimus, sed quam manæ, quam mutilæ, quam imperfectæ ad nos perferuntur! Quantis scatent erroribus in omnibus suis partibus, & accessionibus, usque dum ab Ephemeridum scriptoribus limentur, & perpoliantur! Nonnisi homines sine sensu, & ingrati æstimant bonum, postquam illud amiserunt. Si infelix illud tempus adveniret, quo fons novorum obturaretur; tunc primo disceremus magni facere dotes illorum ingeniorum, quæ nobis quotidiana nova semper exquisito cum ornatu exhibent, omne factum secundum regulas artis explicant, ipsis furibus sinunt cervicem cum decore frangi, patibulis, aliisque reorum supplicio destinatis suggestis heroicam quamdam speciem indere noverunt. O singulares viros! quorum modus proponendi, quod jucunditatem animi attinet, ipsa facta longissimo post se relinquit intervallo, immo soliorum nutus, & conjecturæ avido lectori sunt totidem delphica oracula, & veritates.

Idmodi eximiis rerum novarum commentariis fit, ut incolæ Germaniæ satis æquabilem nanciscantur rerum cognitionem, nam uti notum est, unus novorum scriptor exscribit ex alio, hacque ratione omnia facta ex

ephemeridibus tanquam ex diversis vulcanis per universam Germaniam sparguntur.

Hic posset quispiam objicere, hanc ita æquabilem rerum notitiam nulli alteri rei magis inservire, quam ut altum in societatibus servetur silentium, orto enim dubio nemo scit plus altero, quod primo obtutu videtur esse verisimillimum; at longe aliter se res habet, nam tametsi alter altero nihilo plus cognitum habeat, attamen hic præ suo vicino majore pollet intelligentia. Gravis etenim est error, putare, rumores in publicis foliis contentos ad litteram esse retinendos, eoque quemlibet debere esse contentum, quod editori placuit scribere. Exempli causa legimus in Hollandicis novis:

*Haga Comitum 26. Junii.*

Nudius tertius, cum advesperasceret, Dominus Pansier, Telegraphorum, & aliorum in oris maritimis constitutorum signorum Director cum batavico rei navalis consilio sequentia communicavit.

Consultissimi virorum! Anuncio vobis acceptos a me hodie telegraphicos rumores. Mane hora 9 (quo tempore ob nebulosum cœlum operatio non levi laborabat difficultate) Vlissingana telegraphica signa indicarunt: „Heri a meridie hora 3. 25. plana navigia a terra solverunt.“ Vespero hora 5 certior factus sum: „Eadem navigia vi sibi viam aperuerunt per hostilem classem.“ Et paulo post: Eadem naves nullum sunt passæ detrimentum.

Jam quæro, si hic narrationi finis imponeretur, essentne omnia nova apta, ut vel media hora durantem animi remissionem conciliarent? Verum hæc sententia non est ita sterilis, continet enim scholla, & corolaria, quæ in tot partes possunt dividi, in quot oratio priori sæculo ad concionem dicta. Ex templo enim nascitur quæstio: An illa 25 navigia provecta sint in altum, ut navale comiterent cum Anglis prælium? An vero ut Ostendam tantum peterent, quo uti notum est, plura jam sæpius navigaverunt? Cum autem bona sint mixta malis, nullam nobis legentibus facessat molestiam sequens recentissima relatio:

*Londinum 22. Junii.*

Illustris Camden Londinensis urbis Præfectum scripto publico certiolem reddit, hollandicam coloniam in Surinam una cum præsidio Paramaribo victricibus Anglorum armis se dedisse; hocque effectui fuisse datum 4 Maji.

Hic multa possent dici, commodaque tam insignis acquisitionis fuse describi, verum ista relinquo lectoribus, ut habeant, de quo disputent, & confabulentur. Claudio orationem meam cum ea humillima spe, me necessitatem novorum satis superque demonstravisse. Nullus dubito, quilibet affirmabit ea pertinere ad res simpliciter necessarias.

*B i o g r a p h i æ.*

Obereit (Jacobus Hermannus) erat fanaticus, inde potissimum notus, quod eum

Zimmermannius in suo opusculo de solitudine vehementius perstrinxerit. Natus est in Helvetia A. 1725. Initio tractavit artem chirurgiæ, quam tamen deseruit, ut sibi ipsi vacare possit, seque totum investigandis reconditis veritatibus consecrare. Sæpius morabatur Dresdæ, apud suum fratrem Ludovicum Obereit, qui Electoralis Saxonici ærarii rationarius fuit, & præclarus mathematicus; dein Meiningæ, diutissime tamen Jenæ, ubi se multum occupabat Philosophia Kantiana, & complura edidit mystico-metaphysica scripta stylo adeo obscuro, ut nonnisi paucis datum fuerit ea intelligere. Ætate jam provectior adivit tamen Prælectiones Schmidii, Reinholdii, & Fichtei, quorum ideas cum suis singularibus commiscuit, suæque centrali Philosophiæ intulit. Erat honestus Helveta in genuino hujus verbi sensu. Injuriosissime illum tractavit Berolinense scriptum menstruum, vocando in suspicionem, ac si fuisset larvatus Jesuita. Externa ejus forma risum movebat, modo enim cynico se vestivit, nihili ducens elegantiores mores, corpus autem ab arthritide contractum habuit. Erat fanaticus sed jucundioris genii, felicissimus in sua persuasione, contentus mundo, & sua sorte, licet sæpe summa inopia, & corporis doloribus premeretur; pauca ad modum appetebat, intentus abstractis rebus, nequaquam tamen morosus in societate. Wielandius illum multis annis sustentabat; Zimmermannius autem compellavit victorem mundi, ex quo

2. Februarii A. 1798 decessit annos natus 73.

*Resolutio Problematis No. 13. propositi:*

Numerus infra A ponendus sit  $= x$ ; infra B  $= x + y$ ; infra C  $= x + 2y$ , &c.; ergo infra 24 litteram  $= x + 23y$ ; Numerus 8-vi membri  $= x + y$ . Habebitur  $x + x + 23y = 121$ , seu  $2x + 23y = 121$ . . . A; porro  $x + 7y = 38$ . . . B. —

Subtrahatur 2 B, seu  $2x + 14y = 76$ , ab A, prodibit  $9y = 45$ . unde  $y = \frac{45}{9} = 5$ . Hic valor in

B substituatur, dabit  $x = 38 - 5 \cdot 7 = 3 = A$ ; deinde  $B = 3 + 5 = 8$ ;  $C = 3 + 2 \cdot 5 = 13$ , &c.

Porro prodibit ex  $a = b + 60$ ;  $-b = a - 60$ ; substituatur hic valor in aliis æquationibus, prodibit ex secunda  $h = a - 50$ ; ex tertia  $c = a - 50$ ; ex quarta  $i = 3a - 141$ ; ex quinta  $d = a - 25$ ; ex sexta  $e = 6a - 360$ ; ex septima  $f = 3a - 106$ ; ex octava  $g = 3a - 91$ ; ex nona  $k = 12a - 733$ ; ex decima  $l = 3a - 10$ . Hinc apparet summam omnium membrorum  $= a + a - 60 + a - 50 + a - 25 + 6a - 360 + 3a - 106 + 3a - 91 + a - 50 + 3a - 141 + 12a - 733 + 3a - 106 = 483$ ; vel  $35a = 2205$ ; unde  $a = \frac{2205}{35} = 63 = N$ :

$b = 63 - 60 = 3 = A$ ;  $c = 63 - 50 = 13 = C$ ;  $d = 63 - 25 = 38 = H$ ;  $e = 6 \cdot 63 - 360 = 18 = D$ ;  $f = 3 \cdot 63 - 106 = 83 = R$ ;  $g = 3 \cdot 63 - 91 = 98 = U$ ;  $h = 63 - 50 = 13 = C$ ;  $i = 3 \cdot 63 - 141 = 48 = K$ ;  $k = 12 \cdot 63 - 733 = E$ ; &  $l = 3 \cdot 63 - 106 = 83 = R$ ; prodit vocabulum: *NACHDRUCKER*. Denique Prima littera loci  $k + 30 = 48 + 30 = 78 = Q$ . —

Hoc Problema accurate resolverunt: J. L. Gaultier Saræpontanus, & Christophorus, Fridericus Sixtus Vaiblingensis.